S116 Nr. 11

Lane Medical Library

DE

TYPHO MALEODE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVIII. M. FEBRUARII A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GODOFREDUS AUGUSTUS LAUDE

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

LINDENBERG, med. et chir. Dr., med. pract.

ARENS, med. et chir. Dr.

BRAUN, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0170

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

NEC NON

CARISSIMO AFFINI SUO

S C H U L T Z,

PHARMACOPOLAE PRIMI ORDINIS,

H A S C E

LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Nihil est, quod scribendi consilium excusaturus verba faciam. Sed ne quis forte rem ad dissertandum electam esse a me miretur adhuc rarius obviam, meisque viribus difficiliorem: tractavi hanc nullo alio consilio, quam ut ipse eam, quantum fieri posset, accuratissime cognoscerem. Minime enim infitior, tantum abesse ut rem novam hucusque incognitam in lucem editurus sim, ut de rebus incertis ac dubiis ne arbitrium quidem mihi interponendum existimaverim, nec nisi id egerim, ut quidquid hodiernae litterarum conditioni consentaneum scriptores illustrissimi in medium protulerunt, colligerem unoque velut fasciculo complecterer. Quodsi ex libello conscribendo justum fructum percepi, satis habeo; te autem, lector, oratum volo, ut caudidus judex et benevolus sis.

HISTORIA MORBI.

Malleus humanus morbus est ille, qui infectione quadam aut contagio ab equis hac affectione laborantibus ad homines transfertur ibique febrem singularem, nempe typhosam producit, quae propriis insuper signis ad caussam efficientem referendis excellit.

Raro tantummodo morbus hucusque observabatur, adeo ut multi sint medici, quibus intuendi facultas numquam sit oblata.

Nihilominus tamen multis medicorum animadversionibus, qui morbos animalium curant, constat, malleum etiam et humidum et farciminosum ab equis ad homines posse transferri. Utrumque contagium apud eos eundem morbum et non discrepantem videtur provocare. De his tamen posthac; nunc pauca de historia morbi verba nos facere licet.

Saeculo adhuc praeterito de typho maleode, quem dicimus, nihil constabat. Waldinger, artis veterinariae magister, primus fuit, qui ad sequelas perniciosissimas hoc contagio apud homines provocatas animum intendit. Dicit ille,

quam maxime in secandis equis malleo humido aut farciminoso interfectis cavendum esse, utpote quum injuriae periculosissimae, immo mors ipsa nonnumquam consequantur. (Waldinger, Wahrnehmungen, 2te Auflage, Wien 1810.) Dr. Lorin, medicus militaris superior, hominem fuisse narrat, qui talem equum secans, quum vulnus in manu utraque contraxisset, tanta harum partium inflammatione afficeretur, ut remediis emollientibus et sedantibus frustra eam curaret. Qui enim tumores parvi exorti erant, eos sectione removebat, tumque vulnus depurabat et unguentum basilicum imponebat. Qua curatione instituta die secundo margines deformati evulsique decesserunt, adeo ut hebdomadibus duabus demum interjectis sanitas rediret. Eundem morbi decursum semel postea vidit. (Lorin, observations sur la communication du farcin des chevaux aux hommes. Journal de méd. chir. et pharm. 1812, Fevrier.) Veith observabat, hocce contagio in vulnera cutis aut in oculos translato, inflammationes harum partium acerrimas oriri, et Sidowium experientia docuit, ulcera valde maligna et putrida posse produci. (Veith, Handbuch der Veterinärkunde. 1822. §. 685. Sidow in Kausch's Memorabilien der Heilkunde). Halbach et Naumann, magistri docentes in schola veterinaria Berolinensi, jussi judicium suum, quod experientia docti de contagio equorum humidorum adepti essent, in medium proferre, sententiam dicebant: inter morbum illum equorum homines quidem numquam affectos esse, sectionibus tamen institutis, ubi vulnera secantes contraxissent, inflammationes periculosissimas

provocatas (Rust's Magazin T. 40, p. 500). Idem Dietrich de contagio censet, quippe veneno translato in partes cutis vulneratas, gangraenam, immo mortem adduci affirmat. (Rust's Magazin T. II. p. 509). Quam sententiam supra laudavimus, eam Halbach tanta vi sibi persuaserat, ut secundum Dr. Eckii testimonium venenum illud humidum in corpus suum ipsius transferret.

Primam observationem accuratam de malleo humano Dr. Schilling in lucem edidit. Discipulus veterinarius quidam, ait, quum equum humidum modo lavisset et nares tetigisset, morbo quodam afficiebatur, qui talia fere signa praebuit: in cute proprium quoddam exanthema apparuit, naresque, in quibus antea vesicula orta erat, gangraenosae factae sunt. Post mortem excavationes parvae pure impletae in osse frontis et inter musculos repertae sunt. Similia morbi ejusdem signa, vel eodem fere tempore vel subsequente, a multis scriptoribus et nostris et peregrinis animadversa sunt. Inter quae ea prae ceteris excellunt, quae anno 1826 Dr. Colemanns memoriae prodidit: nimirum non hominem solum, sed etiam asinum posse ex hocce contagio equino morbum eumque perniciosissimum contrahere. Haec quidem vidit: discipulus quidam veterinarius, Guilelmus Turner, equum humidum secans digitum aliquem laeserat, unde ulcus contraxerat, vasorumque lymphaticorum ac telae brachii cellulosae inflammationem. Paucis diebus post in altero brachio abscessus formabatur, sicuti in inferiore dorsi regione, pluresque juxta genu. Post mortem tales etiam in pulmonibus

deprehendebantur. Hujusque abscessus pus eundem, quem malleum equinum diximus, in asino contagio illo affecto morbum producebat, quem denique mors sequebatur. Idem eodem successu Dr. Turner expertus est.

Patet ex his, malleum humanum partim contagio equino ipso translato, partim miasmate solo posse provocari.

PATHOLOGIA MORBI.

Ubi contagium equinum corpus humanum attigit, vulgo dermatitis venenata exoritur. Numquam dolores articulorum deficiunt, simulque ingens virium prostratio aliaque signa generalia consequuntur; tum in glandulis lymphaticis telaque subcutanea cellulosa diversarum corporis partium definitae, rotundae, dolorificae intumescentiae, quae subinde augentur et denique in ulcerationem aut gangraenam transeunt. Haud raro, si quidem longius morbus procedit (idque saepissime accidere solet), cutis telaque mucosa etiam in periculum vocatur. Etenim in cute pustulae segregatae, flavescentes, circulo rubro finitae formantur, quae in corio sedent, nec pus verum, sed tenuem materiem et pulposam continent. Pruritum non provocant et tamdiu sedent, donec crustas flavas conformant. Jam quod ad telam mucosam spectat, semper tunica narium primum laeditur doloribusque vexatur. Postea materia flavescens, striis sanguineis mixta, acerrima effluit, quae ulcerationem producit; eaque ad fauces, laryngem et

tracheam, denique ad pulmones ipsos extenditur. Haec tamen signa interdum etiam deficiunt. Sin vero summum tamquam fastigium morbus attigit, ubicunque vis, gangraenam petit: maculae rubrae et vesiculae gangraenosae in cute apparent, praecipue in facie, moxque in crustas gangraenosas mutantur. Ubi malleus equinus adest, ibi partes molles gangraena penitus delentur, idque saepissime in naribus, labio superiore, palpebris solet accidere. Similia in partibus internis reperiuntur. Quum morbus est mitior, febris interdum etiam est, quamquam aut intrante morbo, aut perfecto, ubi consequitur, gangraena augetur. Quae febris, etiamsi morbo incipiente sthenicam naturam, quam dicunt, habet, gangraena praesente semper ad torpidam et putridam vergit.

Patet jam ex hac disputatione de malleo humano instituta, duas posse morbi formas, alteram mitiorem, alteram graviorem esse. Quarum prior infectione locali gignitur, nempe contagio illo in partem aliquam corporis laesam illato, et a dermatitide venenata orditur. Morbus hicce longior est, exanthematibus telaeque cellulosae morbis caret, nec gangraenam provocat. Posterior tamen, infectione neutiquam manifestata, apparet modoque per breve tempus ad finem usque decurrit, utpote quum celerrime exanthemata, maliasmus narium, gangraena perniciosissima consequantur. At vero tantum abest, ut mitiorem illam morbi formam supra laudatam sine aegroti periculo semper adesse contendam', ut horribilem quoque naturam istam, rebus malis externe accedentibus, induat et exitum infaustissimum adducere queat. Fuerunt,

qui morbum diversum existere affirmarent, prout aut malleo humido aut farciminoso prolatus esset, dicerentque, in priore tunicam narium mucosam affectam, in posteriore liberam esse. Nobis tamen eorum sententia magis arridet, qui, hanc discrepantiam negligentes, simplicem formam maliasmi vel longam et malignam dignoscunt. Itaque eos in morbo enucleando sequamur.

I. Maliasmus simplex sive chronicus.

Vulgo haec forma contagio in corpus humanum translato efficitur, praesertim si cutis laesa est, ibique contagium imponitur. Quam infectionem dermatitis venenata, cujus jam supra mentionem fecimus, excipit, simulque dolores articulorum pungentes, virium prostratio, capitis gravedo aegrotos solet vexare. Fit etiam, ut dermatitide aut omnino deficiente aut jam remota, haecce signa appareant.

Postremo in partibus iis, ubi contagium apponebatur, idque saepissime in extremitatibus, tumores maleodes, in tela subcutanea cellulosa sedentes, formantur. Qui pauci vulgo sunt, rotundi, paullum elevati, duri, aucto calore et compressione dolorifici. Cutis, principio non depravata, postea fit rubra nec mobilis supra intumescentiam, donec noduli liquefacti ichorem pessimum, flavescentem quidem, globatum, foetidissimum emittunt. Quae restant ulcera, ea malam habent indolem sanandi. Diu saepenumero tali modo morbus cunctatur. At vero mensibus nonnullis praeteritis doloribusque

articulorum dorsique intrantibus, etiam in aliis corporis partibus iisque valde remotis eadem ulcera, eundem quoque decursum obtinentia, oriuntur. Itaque non raro fit, ut complures vasorum lymphaticorum intumescentias filiformes, quas dixerim, quibus ulcera illa inter se junguntur, intueri queas. Quae glandulae in vicinis regionibus sedent, aut axillares, aut inguinales, aut cervicales, tumefiunt, venarum vasa rubefiunt, tantaque virium prostratio, quum doloribus penetrantibus, tum mala ulcerum suppuratione provocata, oritur, ut ne motum quidem corporis aegroti patiantur. Propriae eruptiones in cute sedentes hac in forma raro observantur, nisi maculas nonnullas rubras pustulasque segregatas huc retuleris. Neque tunicae mucosae magnopere laborant, ita ut raro tantum ozaena humida, quam dixerim, consequatur. Incipiente morbo, quamdiu dermatitis venenata adest, tamdiu etiam agitatio febrilis adesse solet; procedente tamen morbo et dermatitide recedente, ipsa recedit. Pustulae enim sine febri formantur. Nihilominus tamen ipsa haec mitior morbi forma ad universam aegroti conditionem plurimum valet. Sunt enim hi vultu pallido et collapso praediti, cibos aspernantur animumque oppressum et aegrum manifestant. Morbo per longius temporis spatium praesente, febris hectica apparet, quam postea tandem phthisis pulmonalis consequitur. Ceterum maliasmus simplex vel chronicus graviorem quoque et acutam potest speciem induere, quae numquam febrem torpidam putridamque non gignit. De hac quidem forma nunc disserendum est.

II. Maliasmus malignus sive acutus.

Est hic morbus ille, quem vulgo medici typhum maleodem, et suo quidem jure, dicunt. Plerumque ita existit, ut locum corporis humani, quem contagium offenderit, neutiquam deprehendamus. Itaque fit, ut dermatitis venenata plerumque deficiat. Quamquam, id quod jam supra monuimus, etiam accidit, ut maliasmum simplicem malignus sequatur.

Semper fere haec morbi forma a febri incipit. Aegrotus enim primum refrigerium conqueritur, in aestum transiens, pulsumque plenum et frequentem obtinet. Huc signa gastrica et dolores vehementissimi totius corporis accedunt, adeo ut decursus omnino multo brevior, quam maliasmi simplicis observetur.

Paucis diebus post peculiares istae papulae in tela cellulosa subcutanea sedentes apparent. Quarum forma ab iis non discrepat, quae in maliasmo simplice deprehenduntur, nisi quod frequentiores sunt et in diversissimis corporis partibus nascuntur. Scapulas plerumque, brachia, dorsum et crura superiora solent eligere, ita ut hebdomade modo interjecta ulcera ubicunque appareant, quae in vicinis locis vasa lymphatica, venosa, glandulas tumefaciunt. Sin tunicae mucosae afficiuntur, id quod fere semper accidere solet, signa maliasmi equorum propria quarto jam vel septimo die, vulgo autem decimo vel decimo quarto proferuntur. Nares enim primum dolent mucique secretio supprimitur; tum vero ex

utroque naso plerumque materies flavescens, striis sanguineis tincta, foetidissima effluit. Et tam acris haec materia est, ut fluxu ejus labia superiora rodantur. Serius ocius ulcera in naribus formantur faucibusque et larynge, ut vocis raucedo inter loquendum, difficilis deglutitio, dolores oesophagei, tracheales et pulmonales accedant. Neque dyspnoea tussisque deficit, et quae emittitur, ea purulenta est materia et sanguine tincta. Quin immo oculorum tunica conjunctiva in ulcerationem transit, eandemque materiem secernit. Periculosissima autem est haec, quam maleodem dixerim, oculorum blennorrhoea. Quae etiamsi nonnumquam deficiat, tamen plerumque adest, semper vero exanthema illud pustulosum die decimo subinde apparet. Quae pustulae magnitudine discrepantes fovea carent et durae sunt, et halonem habent rubrum paullulumque sublimem. Quod in pustulis inest, massa est pulposa, pustulaeque ipsae paullatim torrescunt, ac flavas crustas et cuti adhaerentes conformant. Una cum iis vel paullo post vesiculae majores, subrubro atroque fluido impletae, nascuntur, singulae faciei partes et genitales intumescunt et passim maculae rubrae atraeque apparent. Denique papulae farciminosae naturam torpidam assumunt luridumque colorem obtinent. Etiam dolores recedunt. Quo modo gangraena existit, quae et externa et interna delet omnesque partes, quas tangit, in ichorem vel favos foetidissimos mutat. Praesertim facies tali modo perit.

Jam vero febris, quae hactenus sthenicam naturam vel erethicam quidem obtinebat, gangraena intrante, torpidam pu-

tridamque capit. Pulsus enim parvus fit debilisque, adeo ut vix frequentia ejus observari queat; lingua fit sicca et atra, excretio alveolaris et renalis chemismum mutat sanguineque tinguitur, respiratio suppressa et rauca, alvus denique signa meteorismi praebet. Postremo deliria accedunt, donec status comatosus sub finem secundae hebdomadis vel tertia incipiente exitum infaustissimum solet afferre.

DIAGNOSIS MORBI.

Quod ad maliasmum simplicem spectat, ex iis, quae aegroti ipsi vel alii de caussa morbum efficiente narrant, dignoscitur. Hic enim, quum vulgo a dermatitide venenata inchoari soleat, ad alios quoque cutis morbos venenatos referri posset, nisi aegrotus ipse aliive ad hanc caussam singularem medici animum intenderent. Sin papulae propriae ulceraque, quae supra descripsimus, non in partibus affectis solum, sed etiam in remotis apparent, sive vultus collabitur, uti eorum omnium, qui cachexia, imprimis venenata laborant, denique signa maliasmo soli propria deprehenduntur: tum morbi formam non agnoscere nemini licebit. Neque enim ullus est morbus alius, qui talia soleat signa proferre, nisi forte dyscrasiam scrophulosam huc retuleris. At vero haec dyscrasia neutiquam contagio provocatur nec subito apparet, omnino non tanta vi tamque celeri cursu prodit, nec tantam corpori cladem affert, quantam maliasmus vel humidus vel farciminosus. Praeterea scrophulosis praecipue infantum est,

et si tumores format, hi doloribus quidem vehementioribus carent neque in gangraenam exeunt. Nec de maliasmo maligno, quem solum typhum maleodem, et suo quidem jure dicunt, medicus in angustiis versabitur. Papulae singulares pustulaeque, dolores articulorum dorsique vehementissimi, partes corporis gangraena perditae destructaeque diagnosin stabiliunt, ut de fluxu illo, quem humidum diximus, nasali taceamus.

AETIOLOGIA MORBI.

Morbus uterque, et maliasmus simplex et malignus sive typhus maleodes, non aliter, nisi contagio illo equino aut humido aut farciminoso in corpus humanum translato formatur. Quapropter caussa morbum efficiens semper definita adest. Fit inde, ut apud eos morbum plerumque deprehendas, qui equos tractare solent, veluti apud medicos veterinarios eosque, qui huic medicinae student, servos et fabros ferrarios. Ceterum malleus equorum, sive humidus sive farciminosus, acutus chronico facilius ad homines transferri videtur. Quamquam uterque eandem morbi speciem provocat, nihilque valet in fluxu narium humido provocando, utrum malleo aut humido aut farciminoso equi laboraverint, nec ne. Jam modi infectionis multum inter se discrepant. Saepe fit, ut morbus, imprimis benigna ejus forma, inoculatione, ut ita dicam, tactu puris secreti, laesione in secandis equis hoc morbo affectis producatur. Verumtamen perniciosissima morbi

species, idque admodum saepe fit, existit, si aut inoculatio aut vulnus alicubi neutiquam deprehenditur, ut cute integra telaque mucosa contagium recipi posse judicemus necesse sit. Idque inde quam maxime arridet, quod ii, qui ex salivariis equorum malleo humido laborantium biberant, hunc morbum adoptarunt. Jam vero incertum est temporis intervallum, quo signa infectionis certa manifestentur. Modo brevi tempore apparuerunt, paucis vix diebus praeteritis, modo longiore, adeo ut post unum demum vel duos menses nonnumquam observata sint. Uti ad alios morbos contagiosos, ita ad maliasmum quoque non aequo homines modo inclinant. Veluti de syphilide, scabie, variolis idem constat. Etenim quum non raro hic morbus equorum observetur, tamen haud multi fuerunt et hactenus sunt, qui sibi morbum contraxerint, quamvis non tantam, quantam debebant, diligentiam ad illum arcendum adhiberent. Quo modo eveniat, prorsus nescimus. Nec magis inter omnes constat, utrum ab homine aegro ad hominem sanum maliasmus transferri possit, nec ne. Fuerunt enim, qui affirmarent et qui negarent. Quorum ad priores Tarozzi referendus est, qui multas ad rem enucleandam observationes instituit. Is enim undecim homines vidit maliasmo laborantes, qui tam aegri erant, ut plurimi perirent. Accidit postea, ut sacerdos quoque, qui moribundos adierat, in morbum eundem incideret. Mitior tamen ille erat et longior, itaque non prorsus pro certo haberi potest, eum etiam eundem fuisse. At vero ab homine ad equum et asinum contagium transit, idque variae virorum doctissi-

morum observationes constituerunt: veluti Trawers, Sewel, Colemann, Royer tale quid experti sunt. Qui quoties ichorem in tumoribus telae subcutaneae mucosae sedentem, vel fluidum illud pustularum gangraenosarum, vel denique mucum humidum e naribus effluentem ad equos asinosve transferebant, toties ibi maliasmum eumque perniciosissimum producebant.

DECURSUS MORBI.

Sequitur jam ex iis, quae hucusqae de maliasmo disputavimus, morbum posse et in sanitatem transire et in mortem. Benigna forma haud raro in malignam transgreditur, indeque decursus celerior existit, febri accedente nervosa et putrida nec minus gangraena, quod signum semper est infaustum habendum. Neque aliter res in maliasmo maligno se habet. Jam prioris decursus longissimus est, ita ut per menses nonnullos, immo per annum et diutius adeo adsit, dum maligna vulgo intra septemdecim dies ad finem usque, eumque semper infaustissimum decurrit. Qui pauci servabantur, apud eos post longius demum temporis spatium valetudo redibat, forma maligna in benignam transgressa. In forma maligna eo gravior fit morbus, si quidem tunicae mucosae afficiuntur, malleusque humidus farciminoso conjungitur. Sin sanitas morbum sequitur, in forma priore molimina critica deficiunt, quoniam subinde signa morbi recedunt; in posteriore tamen

manifestissima, nempe sudorifica, adsunt. Ulcera ibi granulatione aut cicatrice sanescunt, eruptiones in crustas transeunt, quibus ejectis aut maculae rubrae aut cicatrices remanent, crustaeque gangraenosae haud exiguam massae jacturam relinquunt.

Jam vero mortem in maliasmo benigno febris hectica, quam non raro signa pulmonum ulcerationis comitantur, adducit, vel benignus in malignum transit. Hic autem aegrotos febri torpida putridaque interficit.

PROGNOSIS.

Patet jam ex iis, quae de morbo hucusque disputavimus, maliasmum semper morbum gravissimum esse et ad sanandum difficillimum. Ipsa enim forma benigna multos aegrotos interficere solet. Itaque dubium semper est, vel malum hujus morbi praesagium. Est melius, prout benignior est; maliasmus vero malignus pessimum semper dat augurium.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Morbi forma utraque massas caseosas vel infiltrationes puriformes in tela cellulosa subcutanea sedentes ostendit. Hae etiam inter musculos et interdum in ossibus ipsis sub periosteo apparent. Quarum magnitudo multifariam inter se

discrepat. Carent membrana, pusque earum est pulposum striisque sanguineis tinctum. Quae venae in vicinitate sunt, vasa lymphatica et glandulae sunt inflammatae; interdum etiam, praecipue ubi morbus sine inoculatione ortus erat, inflammatio deficit. Sin affectio nasalis humida adfuerat, tunica narium et sinuum frontalium mucosa saepeque faucium et laryngis intumescit et rubefit. Peculiares etiam eruptiones observantur, quae ab aliis tubercula, ab aliis parvi abscessus habentur et describuntur.

Rayer eas censet parvas esse plasticae et puriformis materiae infiltrationes, in tela mucosa et infra sedentes. Postea hae eruptiones in ulcera mutantur, adeo ut ossa ipsa et cartilagines destruantur.

Quin immo gangraenam in naribus repererunt. Neque raro etiam in pulmonibus talia deprehenderunt, sive maliasmus benignus, sive malignus adfuerit; nihilque insuper valet, utrum affectio illa nasalis humida farciminosave adfuerit, nec ne.

Nempe pulmonum superficies interdum easdem eruptiones vel infiltrationes puriformes ostendit, quam tunica laryngis et tracheae mucosa, et parenchyma eorum modo rotundas et circumscriptas durities, modo excavationes pure refertas profert. Accidit, imprimis in maliasmo maligno, ut pars aliqua pulmonis inflammata inveniatur; nonnumquam adeo hepatisatio, quam dicunt, adest. Quamquam in aliis partibus internis tales infiltrationes raro observatae sunt. Semel Dr. Eck abscessum in cerebro deprehendit.

Denique maliasmus malignus insuper pustulas illas, et vesiculas gangraenosas in cute sedentes, de quibus jam supra mentionem fecimus, manifestat, signaque ea, quae febris torpida et putrida solet provocare: sanguinem dissolutum, musculos relaxatos facileque rumpendos, maculas atras rubrasque in tunica mucosa ventriculi et tractus intestinalis, exsudata denique inter membranas cerebrales.

CURA MORBI.

Facilius negotium est infectionem prohibendi et maliasmum ineuntem retinendi, quam semel formato medendi. Itaque eadem cura est ad maliasmum, quae ad anthracem malignum adhibenda. Quapropter si vulnera hoc contagio provocata deprehenduntur, ratione eadem curanda sunt, quam omnino venenata exigunt. Prae ceteris infrictiones mercuriales, fomentationes alcalicae, scarificationes profundae saluberrimae habentur. Balnea tepida et medicamenta drastica fortasse decursum maliasmi longiorem inhibere possunt. Lorin hunc ad finem glandulas tumefactas sectione removit.

Morbus excultus secundum formam, quam obtinet, variam exhibet curationem.

A) Maliasmus simplex est medicamentis internis, dyscrasiam removentibus, curandus. Incipiente quidem morbo remedia drastica, progrediente excitantia et tonica semperque ea, quae vitam vegetativam, ut ita dicam,

optime possunt mutare, alterantia adhibentur. Quare hydrargyrum muriat. mite initio morbi prae ceteris laudatur. Nec tamen reliquae secretiones, imprimis cutaneae, negligi debent, quae insuper adhiberi possunt, ubi aegroti debilitas vetat, ne purgantia porrigantur. Huc igitur infusa aromatica et balnea tepida alcalica sunt referenda. Vires corporis aeque, rebus urgentibus, sustentari debent. Jam multa sunt ad vegetationem mutandam medicamina advocata: veluti merc. sublim. corros., cali hydrojodicum, ferrum jodatum, aurum chloricum, hydrarg. jodatum. Quae omnia impendi suo loco possunt. Externe balnea alcalica in usum vocantur, cataplasmata emollientia, infrictiones mercuriales et jodinicae, emplastrum mercuriale cum cicuta junctum, ut tumores relaxentur.

Abscessus celeriter aperiantur necesse est, ulceraque, quae restant, aeque sunt ac scrophulosa curanda. Contra malleum humidum Elliotson aquam creosoti usurpat. Denique morbus laryngeus et pulmonalis eandem requirit curationem, quam inflammatio chronica harum partium et phlebitis.

B) Maliasmus malignus aeque curatur, atque intoxicatio venenorum septicorum. Plerumque indicatio vitalis hoc loco prima est, et morbi postea demum sequitur. Itaque morbo ineunte, quum tam gravis esset, multi medici venaesectiones instituerunt. Sed frustra, licet

crusta phlogistica formaretur et dolores articulorum recederent. Haec enim curatio stadio torporis favet. Neque meliorem successum emetica praebebant, quae signis gastricis praesentibus adhibebantur. Prorsus nihil antiseptica valebant, quae semper fere in ultimo morbi stadio oblata erant.

Plurimum hactenus principio hydr. muriat. mite valuit, postea oleum terebinthinae, interne et externe impensum, atque ammonium. Quae quum ita sint, curatio semper talis instituenda est, ut inclinatio morbi ad febrem nervosam et putridam spectetur. Sequitur inde, quod venaesectiones institutae non eum, quem medici sperabant, successum prosperum habuerunt. Quae quidem intoxicatam sanguinis copiam delentes indeque morbi radicem magna ex parte removentes, tamen organismi vitalitatem tantopere deminuunt, ut eo celerior asthenia consequatur actioque vitalis jam non tanta adsit, quanta ad vitam sustentandam requiritur. Quodsi una ex parte sanare possunt, quatenus caussam efficientem totius morbi removent, tamen ex altera nocent, quia febrem putridam efficiunt. Quapropter venaesectiones semper, si in typho malcode adhibentur, maxima cum providentia et diligentia neque umquam sunt largiores adhibendae. Contra antiseptica in primo morbi stadio turgorem sanguinis augent sthenicaeque febris naturae tantopere favent, ut usu eorum in summum periculum vita vocetur. Liquet inde, etiam haec medicamina nihil paene ad morbum removendum valuisse. Etenim in posteriore demum morbi stadio utilia esse possunt, sed tum

de vita aegrotorum semper desperandum est omniaque frustra adhibentur.

Plurimum, uti jam diximus, adhuc oleum terebinthinae valuit, quod specificam tamquam vim contra typhum maleodem exercere videtur, praesertim si ammonii praeparatis, iisque gravioribus, conjungitur. Exstant quidem exempla, ubi interdum aegroti iis sanati sint, postquam reliqua antiseptica omnia frustra in usum vocata erant. Quod morbo incipiente laudabamus hyd. muriat. mite, naturae sthenicae repugnat, neque astheniam provocat, multumque jam in typho maleode valuit, licet non tantam vim exercuerit, quantam in typho incipiente abdominali.

VITA.

Ego, Godofredus Augustus Laude, Polnovae, Pomeraniae oppido, die XXX mensis Decembris anno hujus saeculi duodevicesimo, patre Godofredo, urbis patriae senatore, matre Dorothea e gente Hennig, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror, natus, confessioni addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Cussalinense, quod clarissimo Mueller directore floret, per triennium mensesque octo frequentavi, atque anno h. s. tricesimo nono primus omnium reliqui.

Autumno anni insequentis, paullulo antea testimonium maturitatis in Gryphiae gymnasio, sub auspiciis rectoris Glaseewald florente, adeptus, a rectore magnifico Ill. Finelio

ibidem inter cives academicos receptus, nomenque apud medicorum ordinis decanum maxime spectabilem Ill. Schultze rite professus sum. Per triennium hosce viros Illustrissimos audivi disserentes:

Ill. Stiedenroth de logice, de psychologia;

Ill. Huenefeld de chemia et theoretica et practica, et organica et physica, de mineralogia, cujus quoque examinatorio et repetitorio de rebus chemicis interfui;

Ill. Schultze de osteologia et syndesmologia, de anatomia corporis humani, de arte cadavera rite dissecandi, de anatomia et pathologica et comparata;

Cel. Laurer de osteologia et syndesmologia, de angiologia et splanchnologia, de neurologia et sensuum organorum anatomia, de fracturis et luxationibus ossium;

Ill. Tillberg de physice et theoretica et experimentali;

Ill. Hornschuch de historia naturali universa, de zoologia et botanice, quem eundem corpora in museo zoologico demonstrantem audivi, nec minus in excursionibus secutus sum;

Ill. Seyfert de pathologia generali, de semiotice, de ma-

teria medica, de arte formulas medicaminum rite concinnandi et fascias chirurgicas rite adligandi, de medicina forensi et politia medica;

Cel. Beatum Kneip de chirurgia generali et speciali, de aciurgia;

Ill. Baum de chirurgia speciali, qui mihi quoque dux fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, nec minus operationibus chirurgicis in cadavere institutis;

Exp. Berndt jun. de ophthalmiatrice et historia medica, de auscultatione et percussione pectoris, de exercitationibus obstetriciis in phantomate institutis;

Ill. Berndt de therapia generali, de pathologia et therapia speciali, de arte obstetricia, de morbis puerperii, qui idem mihi dux fuit in clinico medico.

Autumno anni h. s. quadragesimi tertii hanc universitatem Fridericam Guilelmam petii atque ab Illustrissimo Lachmann in numerum civium academicorum receptus, nomen apud Ill. Busch, t. t. gratiosae medicae facultatis decanum spectatissimum, rite professus sum.

Per duo semestria, praeterquam quod scholam

Exp. Ascherson de arte fascias rite adligandi frequentavi;

Ill. Busch in clinico obstetricio;

Cel. Wolff in clinico medico;

Cel. Romberg in policlinico medico;

Ill. Wagner in clinico medico ambulatorio;

Ill. Dieffenbach in clinico et chirurgico et ophthalmiatrico;

Ill. Juengken in clinico et chirurgico et ophthalmiatrico;

Cel. Truestedt in clinico medico et chirurgico ambulatorio

mihi duces fuerunt.

Nunc in legione tormentaria chirurgi militaris munere, ut reipublicae legibus satisfaciam, sub auspiciis Cel. Stumpf, medici legionarii, fungor.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso superatis, spero fore, ut hac dissertatione cum thesibus subjunctis palam defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicus venenis non utitur.
2. Mercurius in curandis morbis syphiliticis antiphlogisticae curationi praeferendus est.
3. Mortis non est certum signum nisi putredo.
4. Amputatio est praeferenda articulationi.